mannica; consuevi enim ei dicere: Bübli, kum her zů mir. Sic et avis me accedente dicere solita erat: kum her zů mir. Propter quam causam fuit mihi factus Italicus inimicus, quod corrupissem sibi avem et removit eam a me. Insuper admoto sibi speculo propria forma deluditur et nunc gaudenti nunc dolenti similis efficitur. In aspectu virginis plurimum delectatur, propter humanitatem earum efficiuntur valde cari dominis suis. Vidi unum psittacum, qui scivit nominatim vocare omnes de familia domini et ipsum dominum vocare solebat mane, ut surgeret ad missam. Hanc avem idem non vendidisset pro C ducatis. Alium psittacum album vidi et majorem caeteris, quem pretio valde magno aestimabant. Dicunt quidam, quod psittaci sint aves paradisi et dum pulli de nidis in Nilum cadunt, extra paradisum fluunt et capiuntur ab Aethiopibus in flumine. Sed hoc est puerile. Diodorus historiagraphus dicit Libro III., quod psittaci diversorum colorum in Arabia felici generentur, quae est supra Aegyptum. Dicuntur autem psittaci vulgariter papagogi, item aves regales et nobiles.

De psittacis in aliam habitationem ingressi sumus, in qua erant stabula equorum domini Tanguardini, et ibi vidimus pulcherrimos equos, alipes, dextrarios, palefredos et gradarios. Abundat enim Aegyptus equis optimis, plus quam aliqua alia regio mundi, unde inter ea, quae de gloria Salomonis scribuntur, fit mentio de equis Aegypti, 3. Reg. X. et 2. Paral. I., ubi dicitur: et educebantur equi Salomonis de Aegypto et de insula Choa et egrediebatur quadriga de Aegypto sexcentis siclis argenti et equi centum quinquaginta. Et Ezech. XVII. improperatur regi Jerusalem a Deo, eo, quod misit ad Aegyptum pro equis. Et Esaiae 31. clamat propheta contra populum ex ore Domini, ne in Aegyptum pro equitatura descendant, dicens, vae, qui descendunt in Aegyptum ad auxilium in equis sperantes et habentes fiduciam super quadrigis, quia multae sunt, et super equitibus, quia praevalidi sunt nimis. Aegyptus homo et non Deus est et equi eorum caro et non spiritus. Tanto enim impetu currunt, quod videntur volare quasi spiritus, non solum in plano, sed de praecipitiis clivorum currunt, et in scopulis et rupibus et locis (b) asperrimis sine laesione et casu, ac si essent equi alati Persei, vel equi Boreae, quos genuit ex equabus Dardani. Vidimus alia vice in ista urbe quingentos equos in uno stabulo, ut patebit.

040

038

044

034

049

029

089

139

539

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;